est enim aliquis vel solo svasu ac consilio corrumpi. *L. 52.
§. 24. ff. d. furtis. & L. consilii. d. Reg. jur.* quæ ultima lex
dicit

deteriorem. per *L. 1. §. 4. ff. de Serv. Corrupto. Schneidw. ad §. in duplum Inst. de Act. n. 16. Petr. Greg. in Syntag. lib. 38. cap. 19.* Consulit enim revera, qui v. g. communicatum sibi homicidium futurum, illud laudat dicendo, fore bene factum, aut quid simile. *Angel. in conf. 22. num. 1. & seqq.* Ubi de eo, qui habita notitia, quod quis erat commissurus homicidium, dixit illi, Facies optimum factum; concluditq; quod licet is non possit dici tractator, sed ordinator homicidii, bene tamen dicitur persuasor, confortator, vel inflammator, & sic tenetur de consilio, licet non de ordinatione, sed tractatione; sequitur *Jas. in L. 1. num. 33. C. d. Serv. fugit. Cepoll. conf. 27. num. 5.* Ubi dixit, quod laudando quis factum dicitur prestare favorem. *Hippol. Rimini conf. 310. n. 10. in fin. lib. 3.* Similiter & is, qui, volenti delinquere, audita ejus voluntate respondit; expedias te citò quod facturus es, fac citò, aliter factum non bene succedet, aut quid simile; Consulere dicitur, adeoque de consilio tenetur, *sec. Jas. in L. 1. num. 34. C. d. Serv. fugit.* Ubi tamen, quod isto casu, & si ex prædictis verbis inducatur consilium, aut inflammatio, non tamen inducitur mandatum. Laudanti factum aliquod, simillimus est consentiens delicto, ideoque etiam tenetur actione doli; Agentes enim & consentientes pari poena puniuntur, juxta dictum *Pauli Apostoli ad Rom. c. 1. in fin.* ubi scribit. Dignos esse morte non solum, qui faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus, & traditur in *c. novum 10. Causa 2. quest. 1. c. quanta de sent. excommun. c. 1. de offic. deleg.* Ubi propterea *Gl. & Canonistæ* in lecturis notant, consensum, taquam generale verbum quadruplicem esse, scilicet negligentia, consilii, cooperationis, & auctoritatis seu defensionis.

§. 4. Ad correptionem animorum quam plurimum etiam facit Scandalum, uti ipsa ejus definitio docet;

Dici-

Dicitur enim esse dictum vel factum non rectum, quod alteri præbet occasionem peccandi seu ruinæ. De quo Scandalo fasè agit *Covar. in c. peccatum p. i. n. s. & 6.* omnia quæ ibidem dicuntur, hic repetere, temporis angustia non permittit. Paucula tamen ex ejus dictis notabimus. Scilicet, non male posse Scandalum triplex dici. Aliud datum tantum, aliud acceptum tantum, aliud datum & acceptum simul. Vel per Dichotomiam. Aliud simplex vel duplicatum, illud vel datum tantum, vel acceptum tantum, quod exemplis declarari potest. Potiphara grande offendiculum ponebat Josepho, sed nihil nocuit casto huic pectori. Simile offendiculum ponebatur Susannæ à duobus illis senecionibus. Sed erant tantum scandala data, non accepta: Econtrario scandalizabantur Judæi ex verbis Christi *Job. 6to* & hoc erat Scandalum tantum acceptum, non datum. Sed David cum pelliceret Bathsabæam, & scandalum ille dabat, & hæc acceptabat. Quæri hic posset annon Magistratus scandala data ea quæ per se mala non sunt, sed speciem mali habent, punire possit? quod non dubito affirmandum: quia Magistratus est Custos utriusque Tabulæ, & sic omnia ea impedire debet, quæ ulla ratione Scandalum præbere possint, v. g. Sit Pater qui filiam, frater qui sororem osculetur; quoniam hoc sævi criminis suspicionem & inquisitioni causam præbere posset: Quemadmodum *Ovidius in lib. 10. metamor.* Introducens Myrrham deperientem proprium Patrem, ita ait,

Osculâq; admoveam, si nihil conceditur ultra.

Et in lib. 9. De Byblite Fratrem illicitè amante agens.
ita canit.

*Nec peccare putat, quod sæpius oscula jungat,
Quod sua fraterno circumdes brachia collo.*

Putarem, hoc scandalum si praesertim monitus pergat,
& quidem extraordinariâ plecti posse. Relatum mihi,
Matrem aliquando in inquisitionem tractam esse, ex eo ca-
pite, quod eodem lecto cum filio uteretur, quæ tamen al-
legata sua ætate, & summa paupertate, & filii morbo perpe-
tuo atque incurabili, cum commiseratione absolutionem
meruit.

§. 5. Est & alius, plane Diabolicus, hominum.
animos corrumpendi modus, scilicet incantamenta &
Philtra, quibus homo ad committenda flagitia pellicitur;
Negamus autem hisce philtris voluntatem alicujus cogi
posse, ad amandum, quem non vult. At potest imagina-
tio perturbari, humores concitari, & totum corpus interi-
us quasi accendi; adeo ut quis, Dæmone variis tentati-
onum illecebris interius certante; æstro quodam libidinis
vexetur, & sic vehementer trahatur ad desiderium carna-
lis copulæ cum aliquo in genere, quod si tum temporis ma-
leficus amator accedat, & artibus, quibus solent muliercu-
læ capi, eam instanter urgeat, vel Dæmon de illo uno tam-
assiduè memoriam & phantasiam moveat, exhibendo spe-
ciem circumstantiarum propter quas amore dignus vide-
atur, & subtrahendo eas quæ indignum redderent: facile
fit ut seducatur. Et hæc est ut puto propria ratio & modus
quo per ista Diabolus solet decipere homines: **Quam**
sententiam communiter sequuntur Juris Consulti. *Marti-*
nus Delrio. lib. 3. disquisit. Magic. part. 1. qv. 3. sect. 2. princ. Ro-
dericus in Medico polit. l. 4. c. 2. Simon-Majolus part. 2. dierum
canic. colloquio tertio. Nam in. L. eorum 4. C. d. Malefic. Con-
stantin. Imper. dicit: Aut pudicos animos ad libidinem deflexif-
se intelliguntur. non ait cœgisse. Hujus Dæmonis vices fun-
guntur male sani proxenetæ vel vetulæ, per lenocina ac
prohibiti amoris conciliationes, juvenum utriusque sexus
ani-

animos corrumpentes. De quibus *vide Const. Carol. Art. 123.*
Et ibi Remus. ac Stephan.

21

§. 6. Pecunia, quæ est instrumentum luxus & luxuriæ, etiam multorum animorū corruptrix est; multi enim homines, insueti pecuniam administrare, acceptam quoquomodo dissipant; Alii vero omnia sua bona minimo vendunt pretio, ut pecuniam meretricibus dandam habeant. Hinc JCtorum opinio est, inutilem esse contractum, si quis Hælluoni, aut Luxurioso homini pecuniam dederit, quam sciebat eum Scorto statim daturum, aut alias turpiter consumpturum; Quod nec ratione caret, nec auctoritate; Probatur enim *per L. si quis cum sciret. §. ff. pro Emptore. Et L. si vero non remunerandi 12. §. si adolescens 11. ff. Mandat. Quæ etiam est Sententia Cujacii tom. 1. pag. 2318. Et tom. 2. 1357. Duarenii ad L. 6. ff. d. V. O.* Hoc ipsum antiquitus jam observatum fuisse, probat illud *Seneca dictum: Pecuniam non dabo, quam numeraturum adulter & sciam, ne in societatem turpis facti, vel consilii veniam.*

§. 7. Similiter etiam pecunia filiofamilias mutuo data, facile animum ejus corrumpere potest, præsertim si à scortationibus vel comotationibus non abhorreat ejus animus. Hinc, non in favorem filiorumfamilias, sed tum odio fœneratorum, tum ne corrumpatur juvenus, & in Patrios inquirat annos, introductum est SC. Macedonianum, quo mediante Creditori qui filiofam. Pecuniam credidit etiam mortuo patre denegatur actio. *L. 1. ff. ad SC. Maced. §. pen. Inst. quod cum eo. Et c.* Exempli enim pessimi contractus in Republica non ferendi. *§. pen. Inst. d. t. hæc datur ratio SC. Macedoniani: Quia sæpè onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vita parentum insidiabantur.* Hoc SCtum Macedonianum tantum intelligendum de pecunia numeratâ. Re-

C 3

liquæ

liquæ enim res ita demum ad SC. pertinent, si in fraudem
ejus data arguantur. Veluti si res aliqua vendenda data
sit, ut pecuniam ex venditione redactam filius habeat in
mutui vicem. *L. 3. §. is autem solus 3. L. 7. §. 3. ff. ad SCt. Maced.* Est
ἔπιφθορά; sive ejusmodi circumscriptionis species, cum
quis Scripto quidem legis pareat & satisfacit, sed non etiam
menti. *Cujac. 13. obs. 24.*

§. 8. Nos autem, cum *Dn. Struvio ac Wissenbachio*
mentem ac Sententiam SCti ad œnopolas, cerevisarios,
Sartores, cupediarios, & mercatores, merce pretiosiores,
in vestimenta filiosam, vendentes, extendere non dubita-
mus. *arg. d. ll. Hac de re Wissenbachius Disp. jur. civ. 28. p. 1. tb.*
27. allegat Academia Franeckeranæ legem: cui etiam Sa-
lanæ Statuta congruere dicit Dn. Struvius ad SCtum Ma-
ced. tb. 53.

§. 9. Multos jam vidimus modos, quibus homi-
num animi decipi possunt; Usitatisimum tamen ac
maximè perniciosum esse Licentiam, nemo negabit, quod
& *Terent. in Heaut.* affirmat, dicens:

Nam deteriores omnes sumus licentiâ.

Cum enim ii, qui scelus, vel flagitium aliquod per-
petrarunt, ob id ipsum impunes maneant, mirum non
est, si à maleficiis nunquam desistant, verùm potius de die
in diem deteriores reddantur. Antiquis hoc probare ex-
emplis supervacuum omninò reor, quippe memoriam
nostram non fugiunt recentiora ac quotidie occurrentia
exempla. Nec minor est species corruptionis, quando
vitia honestioribus verbis, veluti mantelis teguntur. Nul-
lum enim tam atrox fere ac scelestum hodierna die com-
mittitur factum, quod non honesto aliquo nomine, vel
titulo obtegatur, adeoque impune transeat. Praferen-
da sanè esset tolerabilis aliqua hujus vitæ poena, atrocis-
simæ

simæ ac æternæ damnationi. Quin itaque justissimum, Judicem invocamus, ut castigatione sua nos ad pœnitentiam permoveat, ne aliquando peccatorum nostrorum justissimam luendo pœnam, è cœlo excludamur.

§. 10. Denique etiam multum valent ad corrupendos mores, & animos hominum, Libri; quibus res obscœnæ ac fœdissimæ, omnibus legendæ proponuntur, vel etiam amatorix cantilenæ, quæ juvenes plerumque ad illicitos pelliciunt amores; Nec non Comœdiæ ac intersecnia obscœna; Iis certè nihil aptius ad depravandos animos. Si enim Aliquis nullo vitio, vel affectu pravo imbutus eadem frequentet; reversus id ipsum de se prædicare haud poterit, aut enim ad iram, amorem, vindictam, vel aliud quid concitabitur. Hæc de Modo corrupendi dixisse, sufficiat, quamvis omnes modi & instrumenta corruptelarum à nemine, nisi forte à Corruptelarum omnium Magistro, exprimi possunt.

CAP. V.

De Diversis Statibus in Republ. Corruptioni sæpè obnoxiiis.

§. I. **I**N hoc Capite, animus est agere de Statibus, in quibus hominum fiunt pleræque corruptiones, cū enim alius Status alio sit aptior ad alendam Corruptionem, ita etiam eos tantum considerabimus, in quibus magis frequentatæ sunt corruptiones. Sic videmus Regum, plerorumque, ac Principum aulas esse interdum seminaria vitiorum, uti enim in mare flumina omnia, sic vitia in magnas aulas fluunt; quod unanimiter affirmant Viri perdocti plurimi; Allego testem *Eberhardum à Weibe in*

tract.

tract. de Aulico polit. Idem etiam testatur *Henricus Petreus Herdesianus in tract. de Aulica vita*, complures alios citans Auctores. Negari non potest, Aulam Davidis optimè instructam fuisse, & tamen duos egregios animorum corruptores ibi deprehendas; Achitophelem scilicet, qui animum filii concitavit contra Parentem, & propudiosum consilium filio suggerebat, ut secundarias patris Uxores publicè corrumpere & stupraret; Et Jonadabum, qui author Amnoni fuerat, ut sorori vim inferret. Talia si fuere Capita Aulæ, quid de reliqua turba dicendum? Mirari itaq; nemo debet, quod alia Aulæ ad formam Davidis hæc quam ex omni parte constructa; vel ordinata, omnibus generis corruptoribus abundent. Si cui itaque in aulis vivere, ac animum incorruptum servare animus est, is adversus omnes corruptelas se præmunire semper, & ne vicem reddat, & par pari referat ac itaque pari vitio se commaculet, omnes injurias hilari vultu, ac patienter ferre debet. Hinc quidam, qui in cultu Regum consenuerat, interrogatus, Quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem? Respondit, injurias accipiendo, & gratias agendo. Sæpè adeo in aulis injuriam vindicare non expedit, ut ne fateri quidem expediat.

§. 2. In Ecclesiis quis dicat corruptioni locum dari, sacræ enim cum illæ sint, ab omni impietate jure abhorre videntur; Sed & ibi esse labe & multifarias corruptiones, scandala sectarum & morum à posteriori, & ommissæ visitationes à priori tristisque experientia satis docet. Utar saltem laudati Eberhardi à *Weibe* verbis in *Aulico politico*. *Salvator noster non jubet de præceptis disputare, sed diligere proximum.* Sed si diligitis, inquit, me, ipsi mea præcepta servate. *Dilectio gloriosior prophetia & reliquis charismatibus supereminetior.* Christus enim filiam vocabat
subti-

25

subtiles disputationes ignorantem mulierem. Finis enim mandati est charitas ex puro corde, conscientia bona & fide non ficta, à qua nonnulli, ut à Scopo aberrantes, diverterunt ad vaniloquentiam. Hinc totus mundus talem conjectionem faciat, ubi disputationum copia & intemperantia &c. ibi frigida Religio &c. hæc ille. Fatendum sanè, præ copia disputationum, ipsius pietatis studium neglectum fere esse: Quis potest damna recensere, quæ ex distractis ob Religionem animis, & Vatiniario inde nato odio in Rempublicam, promanarint. Sed hæc ad Theologos remitto, quorum hic non aliter, quam quatenus corruptelæ morum fomitem præbent, & Rempubl. lædunt mentionem feci, quod agnovit D. Job. Mattheus Meyfartus Theol. Prof. Publ. Erphordiensis in scripto illo quod corruptelis Academiæ, opposuit, & Serenissimo Duci Saxonix Dn. Ernesto Anno 1636. inscripsit, lib. 5. cap. 12. hanc fecit Rubricam, wie durch Antrieb des Satans die Evangelischen Kirchen in einander gerabten / dadurch die Academische Jugend verbeget / und eine weite Thüre zu allerhandt Unordnung erdffnet worden. Qui postquam capita consensus Theologorum in sine subscriptorum, Marpurgi in iti 3. Oct. anno 1529. recensuisset, hoc judicium suum tandem graviter subjungit; Omnes eos qui post mortem Lutheri ac Melanchthonis hoc negotium quo minus continuatum fuerit impediterint, vel in medio dierum suorum mortuos fuisse, vel in posteritate sua dedisse pœnas &c. sed hoc non facimus nostrum, nec ex eventu judicandum putamus, ideoque ad alia transimus, posteritati judicium relinquentes.

§. 3. In Academiis quanta corruptio floreat viget atque, notorium pro dolor satis est; exprimam tamen, ut verbis *Sixtini Ananæ* potius quam propriis, quamvis nec

D

omnia

omnia ejus verba mea faciam, hæc itaque sunt ejus verba: *Academias Reip. & Ecclesia seminaria esse in confesso est. Quales ergo Academia, talis Respublica, talis Ecclesia. Jam vero, qui in Academiis plerisq; Germania vixerunt, & vel micam pietatis habent, uno ore fatentur omnes, illas magis Bacchi & Martis, quam Musarum sacraria fuisse. Ibi calamos in pugiones, atramentaria in thecas pulveris bombardici abiisse. Ibi irrisui fuisse sobrietatem, pietatem dedecori. Innoxios adolescentes, quos studiorum gratia eo parentes ablegaverant, initiatos in ipso introitu Baccho fuisse, auspicia vita Acad. facta ab infami & plena impietatis depositione: De cujus prima institutione nolim temere judicare, &c. Duella crebra, quæ non solum gladiis sed & sclopetis peragebantur. Belluina compositiones assidue: Nocturna grassationes sine intermissione. Vexationes juniorum, qui plerumq; (talibus) senioribus meliores & innocentes, intolerabiles, addo & injustissimas. Hæc ille, cum quo simillima plurima habet D. Meyfartus in d. tract. Nullusque dubito quin consuetudo alios vexandi, originem ex parte referat etiam illis Academicorum disputationibus, in quibus alii alios Auditoribus deridendos imò explodendos proponunt, non prius quiescentes nisi postquam cum sibilis & tumultu explosi sunt, quam Corruptelam etiam in Belgicis Academiis deprehendi. Sed de hoc satis.*

§. 4. In Curiis denique, ac Judiciis frequentatas multum esse animorum corruptions in confesso est, fieri enim sæpissimè solet ut judices, donationibus, vel honorariis forte corrupti, sententiam ad unius partis placitum ferant. Nam & is, qui in bona causa judici quid dat, ut pro se judicet, corrumpere videtur judicem, l. 2. §. 2. ff. de Condict. ob Turp. causam. Donell. l. 14. c. 25. & ibi Hillig. lit. C. Bachov. in Trent. disp. 22. tb. 3. lit. f. vol. 1. Quid autem aliud

27
aliud agunt Patroni 'causarum ii, qui sine omni delectu
quascunque causas defendendas suscipiunt, quam ut vera-
reticendo iudicem ad iniquam sententiam inducant; Cum
enim ipsi pretio omnia metiantur, omni ope enitentur,
ut adversam (licet justiore) partem supprimant. Lo-
quor (ut dixi) de iis tantum Advocatis, quos vulgus optimos
dicit, revera autem pessimi sunt; puta tales qui spe lucri
faciendi pessimam ac ab omnibus rejectam assumunt cau-
sam, eamque tueri contra apertissimas leges volunt; vel
si id obtinere nequeunt, litem in longum protrahunt.
Nec non referri huc possunt ea Collegia, quæ consulta à
partibus semper ad placitum quærentium respondent, &
diuturnis litibus, ac inde propullulantibus corruptelis ani-
morum, occasionem præbent & fomitem. Ex iis itaque
quæ hoc capite diximus, patet, in illis Statibus, qui præ
cæteris à corruptione immunes & vacui esse deberent, e-
asdem interdum, frequentes esse. Quid de aliis Statibus
ac Collegiis dicendum sit, facile ex dictis patebit.

CAP. VI.

De causa finali corrup-
tionis.

§. I. **A**Ntequam ad Actionem, quæ ob hoc delictum
datur, (de qua in secunda parte,) progrediamur,
operæ pretium erit, paucis inquirere, quid intendat hæc
animorum corruptio, vel quis ejus finis sit. Certum au-
tem aliquem ei præfixum esse finem nemo negare facile
ausus fuerit, cum quicquid fit, fiat propter aliquem finem,
L. 4. C. de hered. Instit. L. 1. C. d. condict. ob causam. Optan-
dum quidem foret, omnium actionum finem bonum.

ac laudabilem esse: verum cum totum genus humanum à natura corruptum ac depravatum sit, mirum videri nemini debet, quod actionum nostrarum pleraque, mala & verita intendant. Hæc autem corruptio, de qua nobis sermo nunc est, ad eas merito refertur actiones, quarum finis & intentio haud quaquam probandus venit, quamvis id de omnium corruptionum sine, commode dici non possit, ut ex ejus divisione statim patebit. Duplicem itaq; Corruptioni finem esse dicimus. *Primum*, si quis directè intendat alterius ruinam, & quidem ideo, ut alter lethalem culpam contrahat. *Alterum*, cum quis sibi, vel aliis, utilitatem, securitatem, voluptatem vel aliud procurare intendit.

§. 2. Primus finis omnino rarior est, nam si quis directè ex seductione, inductione, vel exemplo contendat proximum in ruinam conjicere, profecto is Diaboli malitiam ferè æquaret: mittimus itaque hunc finem, & transimus ad posteriorem, qui longè frequentior ac usitator est; Hic vero finis iterum duplex dici poterit: Alter ejus intentio ultima quodammodo bona videri possit; Alter cujus intentio ex asse mala. Ad primum referri possunt ludi & spectacula olim in majoribus urbibus habita, & in eum finem à Regibus & superioribus tantum concessa, ut Plebem oblectarent, eorumque animos à serio averterent, atque hoc pacto securitati & tranquillitati publicæ consulerent; imo etiam ut firmarent potentiam suam. Sic Cyrus ut à Lydis, sæpissimè rebellantibus, securus esset; arma & equos iisdem ademit, jussitque caponas, & ludicras artes, & lenocinia exercere. Ut sic gens industria quondam potens, & manu strenua; effœminata mollitiæ & luxuria, virtutem pristinam perderet;

&

29
& quos ante Cyrum invictos bella præfiterant, in luxuriam lapsos otium & desidia superaret, quod refert *Justinus lib. 1. c. 7* Hic proximus finis malus, sed ultimus bonus videtur, verum per mala media non obtinendus; infinita alia in antiquis scriptoribus, idem testantia reperiuntur exempla; quæ omnia recensere longum nimis foret. His itaque, missis, pergitur ad Alterum finem, de quo diximus, quod ejus intentio sit ex se mala, quem finem deprehendimus in iis, qui cum aliorum damno vel periculo, desideriis ac rebus suis consulere student; Sic multi seducunt mulieres, ut suæ libidini satisfiat, non ut mulierem in ruinam conjiciant. Similiter ob avaritiam, vel etiam inmensam gloriæ cupiditatem multi aliis fraudes & insidias struunt. Denique ob rationem status, alii alios corrumpunt; hodie enim privatis quoque sua quasi Ratio Status est. Hujus itaque finis intentionem malam esse ex eo probetur, quoniam cum alterius damno, nemo locupletari debet. Sed hæc cujusque conscientia relinquitur.

§. 3. Interim hoc manet, eum qui hoc fine, alii infuderit quasi vitia, ut ei noceret, & in ruinam eum præcipitaret, eum, inquam, gravissime plædendum esse. Qua de re in 2da parte plura audimus. Et quo quisque finis est vitiosior & pejor, eo quoque gravior debet esse poena etiam in foro externo.

§. 4. In summa autem, quocunque quis fine, alium corrumptat, vitiumque propinet, non debet hoc impune facere, quia qui non ob ruinam, sed quocunque alio fine, vel consilio, vel exemplo alii nocet, præbet is alii occasionem peccandi, non per accidens, sed per se. Ex *Thoma & Cajetano Covarr. in Regul. peccatum.*

D. 3

PAR.

PARTIS SECUNDÆ

CAP. I.

De Actione Servi Corrupti

Directa.

§. 1. **H**ÆC Actio de qua nobis in præsentiarum sermo erit, est Prætoria. *Ulpianus in L. 1. ff. d. Serv. Corrupt.* Ipſius autem Edicti hæc ſunt verba: *Qui ſervum ſervamve alienū alienamve recepiſſe perſuaſiſſe ve quid ei dicetur dolo malo, quo eum, eam deterior em faceret: in eum quanti ea res erit, in duplum iudicium dabo.* Competit hæc actio Domino Servi Corrupti, ſcilicet qui tempore corruptionis fuit, non ei in cuius dominium poſtea abiit, *per L. 5. §. ult. ff. b. t. fieri enim poteſt, ut ſi alienavit, fortè minori pretio vendiderit L. 6. d. t. quippe ipſa corruptio ſæpiſſimè poteſt eſſe cauſa manumissionis. L. 7. b. t. Conceditur præterea hæredibus dominorum, cæterisque ſucceſſoribus per L. 8. b. t. & l. 13. pr. eod.*

§. 2. Datur autem adverſus eum, qui ſervum cuiuſlibet ſexus, vel ætatis ſolicitat ad aliquid, vel faciendum, vel cogitandum improbè: utpote, ſi perſuaſit alicui, ut injuriam faceret, vel fingeret, vel ut alium ad fugam ſolicitaret, vel ut res ſuas, vel alienas intricaret, abſumeretve, aut amator exiſteret, vel ut errori vel malis moribus eſſet deditus, vel in cauſonis nimius, vel ſeditioſus, vel potator vel falſarius, vel denique, ut aliud quodlibet delictum perpetraret. *L. 1. §. ſin. ff. d. Serv. Corrupt.* Sed quid, ſi tentavit quidem corrumpere, ſed non effecit? Sunt enim multi, quorum probitas nullis ſvaſionibus poteſt expugnari. Certè non minus tenebitur, quam ſi perſuaſiſſet. Cona-

tus

tus enim puniri debet in his, quæ faciliter trahunt ad pernicioſa exempla. Nam à corruptente (quantum ipſe potuit) perfecta res eſt. §. *ſed & ſi credat. Inſt. d. Obligat. qua ex delicti, naſcuntur. L. ſi quis ſervo C. d. Furt. & Serv. corrupt.* Idem etiam dicitur corruptor, eademque contra eum datur Actio, qui ſervum dolo recepit, id eſt abſcondendi cauſa ſuſcepit, ac refugium illi præſtitit quocunq; in loco, ſuo vel alieno, *per L. 1. pr. & §. 2. ff. d. ſerv. corrupt.* Similiter & is, qui perſvadendo corruptit, quod plus eſt, quam compellere, aut cogere *per L. §. 3. ff. d. t.* Vel deniq; qui laudat, eſt Corruptor & hæc actione conveniri poteſt *per L. 1. §. 4. ff. d. t.* Sed de his pluribus jam actum in parte priori. Quemadmodum autem Actio Directa ſervi corrupti datur etiam hæredibus, ut modo dictum, ita in, vel contra hæredē non datur *per L. 13. d. t.* quoniam eo reſpectu pœnalis eſt. Sed quia mixta eſt *l. 14. §. 5. ff. b. t.* utique qua perſecutoria etiam in heredem datur.

§. 3. *Æſtimatur autem in hoc iudicio, non ſolum quantum ſervus ob id, quod corruptus eſt, minoris exiſtat, vel vilior effectus ſit, per. l. 9. §. ſin. d. t.* ſed etiam quanta ſint res, quas ſecum abſtulit *L. ſi quis ſervum. §. ſin. l. 10. & L. Neratius ait 11. in ſin. ff. eod. tit.* Idque totum duplatur, hoc eſt, omne damnum ex corruptione proveniens, *L. in hoc iudicium ff. d. t. §. in duplum. Inſtit. de actionibus.* Etiamſi res illæ non ſint perlatæ ad eum qui ſervum corruptit, ſed ad alium, vel ſi ab ipſo ſervo conſumptæ ſint, quia corruptor, ſolicitator, impuſſor, princeps eſt delicti: & æquius eſt earum rerum nomine eum teneri, qui princeps eſt delicti; qui origo malorum, quam eum quaeri ad quem res perlatæ ſunt. Concurrit etiam in hæc ſpecie, cum hac Actione ſervi Corrupti, earum rerum nomine, quas ſervus furatus eſt, vel ſecum abſtulit, hæc, cujus hæc eſt formula;

Ope



Ope consilio tuo furtum factum esse ajo: de qua sapè in jure. L. si servus servum ff. ad Leg. Aquil. & in L. sepe ff. d. verb. signif. Et apud Ciceronem d. finib. bon. & mal. Et est species actionis furti, etiam in duplum. L. is qui 34. ff. de furt. L. ult. C. d. noxal. action. Idque duplum tantum pœna est, id est, non est mixta actio: sed meram pœnam persequitur extra rem; vel res furto subtractæ, quæ propria actione petuntur, id est condictione furtiva. Concurrent igitur tres actiones in hac specie, una est Servi Corrupti; altera Furti, quod ope & consilio tuo factum esse ajo, & Conditio furtiva; nec altera alteram consumit, aut perimit, quia non eadem res in omnibus versatur, non idem omnibus intenditur. Sed conditione furtiva rem, vel æstimationem persequimur: Actione furti, quod ope consilio tuo furtum factum sit, persequimur meram pœnam dupli. Et hoc amplius; Actione servi corrupti, persequimur duplum quanti interest. L. ii. §. ult. ff. d. Serv. Corrupt. Denique etiam datur actio in id, quod aliis Dominus ob vitium servi præstare coactus est; vel ut clarius dicam; Dominus actione Servi Corrupti, id omne consequitur, quod ob vitium ejus aliis præstitit, & hoc amplius, alterum tantum vice pœnæ. Itaque Mixta est actio, quia rem & pœnam persequitur, de quo vide plura apud Cujac. Tom. i. in lib. 19. ad Edictum Pauli.

§. 4. Videamus etiam, num aliquo casu integrum servi pretium petere possit Dominus? quod adfirmat L. 24. §. ult. ff. d. Serv. Corrupt. Quæritur enim in hoc §. ultimo, quid sit dicendum, si servus inutilis factus sit, ita ut domino non expediat eum habere. Si igitur inutilis factus sit domino, non aliis, sed soli domino: Alioquin si prorsus factus esset nauci, nihili, si prorsus inutilis, omnibus constaret integrum ejus servi pretium, qui planè factus ac-

nequam quanti fuit, antequam corrumperetur, & alterum tantum i. e. duplum domino præstari oportere, pro tenore actionis servi corrupti. Quid igitur? si domino soli factus sit inutilis, aliis fortè perutilis & gratus, puta, quia ludio & histrio factus est, quo genere hominum dominus ejus, honestissimus paterfamil. non utitur. Quæritur, *utrum hoc casu corruptor servi integrum pretium domino præstare debeat, quanti fuit antequam corrumperetur, & domino prorsus fieret inutilis, ita ut dominus & pretium servi habeat in assẽm, in solidum, & servum ipsum retineat, & lucri faciat. An vero cogatur dominus, qui de eo servo corrupto agit, eum servum reo restituere, cujus opera inutilis est, accepto justo & integro servi pretio, quanti fuit antequam corrumperetur?* Hæc est quæstio; Et rectè ait Paulus, in corruptorem electionem domino dandam esse, ut vel servum retineat, atque etiam damnum, quanti servus pretio vilior factus est, in duplum accipiat pro tenore actionis Servi Corrupti: vel ut corruptori servum ipsum restituat, cujus etiam nullus apud se usus est, & accipiat, non duplum, sed quod multo pluris esse potest, integrum servi pretium, quanti fuit, antequam corrumperetur. *Vide Cujac. lib. 19. Ad Edictum Pauli.*

§. 5. Alia etiam quæstio ex hac actione oritur; *an nimirum furta post corruptionis tempora commissa in aestimationem venire possint?* quod quidem cum Neratio Ulpianus in *L. 11. pr. ff. de Serv. Corrupt.* negat; an verò in judicio Polli id obtineat, valdè dubito; Si quidem legimus in sacris, Jeroboam, qui corrupit Populum Israelis, omnem Idololatriam, quæ post ejus factum à populo commissa, imputari; Idem in Manasse Rege Judæ. Unde non improbabiler dici posse arbitror, cum qui aliquem corruptit, non tantum de hac corruptione Deo pœnas daturum, sed etiam

E

am

am si ille corruptus aliis causa improbitatis sit. Nam taliter corruptus, multos alios corrumpere, Ecclesiam totam offendere, & multis calamitatibus causam præbere potest.

§. 6. Sciendum denique, Directam hanc de Servo Corrupto Actionem, non esse temporariam, sed perpetuam; ut ait *Ulpian. in L. 13. ff. de Serv. Corrupt.* Et turpis actio. *l. 56. ff. pro Socio, & l. 6. ff. de Obsequiis parentibus &c.*

§. 7. Majorem etiam pœnam merebitur, qui servum Reip. corruerit, sollicitaverit, avocaverit, nam is cum altero servo 12. Solidorum summam Reipubl. inferre tenetur, *l. 5. C. de Servo Fugit.* Et qui servum fiscalem, occultaverit non solum eum restituere, sed & 12. libras argenti, pœnæ nomine fisco dependet, *l. 7. C. d. t.*

CAP. II.

De utili actione Servi

Corrupti.

§. I. Ex iis quæ in præcedente capite exposuimus, intellectum est, cur de Servo Corrupto propria & directa detur actio: Quærere jam aliquis possset, cur non de uxore, filio & similibus personis corruptis prodita à Prætoris sit actio, cum longe majus delictum sit, liberum hominem corrumpi, quam servum. Ratio elegans, quam etiam *Cujac. in lib. 17. Observ.* habet, in promptu est; Quia, nimirum servus est in patrimonio domini, ut quodlibet animal brutum, non filius. est in patrimonio patris. Et corruptio igitur servi, quia vilior planè & deterior efficitur, minuit patrimonium domini, non corruptio filii. patrimonium patris. At vice versa corruptio servilis non minuit decus, & dignitatem familiæ domini, & ideo nec
domi-

dominum pudet agere de Servo Corrupto. Corruptio autem filii fam. liberaliter educati, qui quasi quodammodo vivo patre existimatur esse dominus, ut ait *L. in suis, ff. d. lib. & post.* Summum & triste decus est familiae; Quod quia Praetor existimavit neminem sanum patrem fam. evulgaturum, palam in corruptorem instituta actione filii, filiaeve corruptae, ideo nec proposuit nominatim actionem de filio filiaeve corruptis. Sed si quis tamen suae famae securus, ea de re agere, & suam domum traducere velit, sane non denegabitur ei deficiente directa, utilis, sive in factum, actio de filio corrupto: quia interest nostra, animum liberorum nostrorum non corrumpi.

§. 2. Sed haec ratio, licet pulchra, omnino tamen adaequata non est; fieri enim potest ut corruptio filii vel filiae fam. sit satis notoria, adeo ut frustra Paterfam. hanc domus suae infamiam celare conetur. Ideo alia ratio huic adjungi potest; Quoniam nimirum in hac actione respicitur damnum rei familiaris; Servus enim Corruptus, in corrupto longè vilior est. Liber autem homo ut filius, filia, uxor & simil. sunt sine omni pretio pretiosi, imo impretiabiles. *L. ult. ff. de his qui dejecerint vel effuderint.* Sed quia interdum & ex filii corruptione emergit damnum rei familiaris, & potest Uxor vel Maritus corrumpi, ut multa ad socium criminis perferat; potest filius corrumpi, ut plura in popinis, vel alea consumat, vel ut res ad corruptorem perferat. Et plus quam pecuniariè interest parentum ne liberi corrumpantur, ideo utilis actio; inceptum dari, qua ex officio iudex aestimat, quanti intersit parentum, liberos non corrumpi *l. 14. §. 1. ff. de Servo Corrupto.*

§. 3. Si itaque filius fam. alioquin bene educatus, à corruptore quodam, ita sit corruptus ac depravatus, ut in integrum restitutioni exigua relicta sit spes; Paterque,

E 2 quo



quo filius ad saniozem redigatur mentem, magnis ei sumptibus Ephorum vel morum magistrum conducere; Imò, si effrenatus plane, ad compescendam ejus savitiam, in Ergasterium detrudere eum cogatur: Dicere nullus dubitarem; posse patrem summo jure illud damnum à corruptore exigere, & una quanti sua alias intersit ratione dignitatis familiæ æstimare.

§. 4. Similiter neminem fore puto, qui neget, Patrem contra eum corruptorem habiturum actionem; qui corrupto filio auctor fuit, ut sua bona, alia aliis dando, omnia dissiparet; ne quicquam ad Patrem, Legitimum heredem, perveniret. Præterquam enim quod ille corruptor ad impietatem committendam incitat; studet etiam Patrem suâ legitimâ privare.

§. 5. Datur igitur Patri semper actio in duplum, ratione pecuniæ perditæ, sed ratione morum corruptorum non item, quoniam de simplo certo constare non potest, quod subsequenti exemplo *Ulyssus ad §. in duplum. Instit. de Act.* eleganter declarat. Pone Patrem, filium studiorum causa ad Montepeffulanum cum grandi pecunia misisse, quem sperabat esse perventurum ad magnum laudis & gloriæ cumulum. Erat in eo singularis eruditionis spes non modica, propter ingenii probitatem. Rectè inchoaverat operam rei literariæ, donec perverfi alicujus scholaris allectus blanditiis, omnes animi vires ad amorem impudicarum convertit. Demum à Scholis vanus & inutilis reversus est. Quemadmodum autem filii sapientia paternam auget nobilitatem, *Accurs. in L. sed Julianus §. proinde. ff. ad SC. Macedon.* Sic filii turpitude patri est dedecus. Jam vero, ubi potest illud duplum, quo ille corruptor condemnabitur, perpendi? Nam simplum damni secuti, considerari non potest. Justam enim quantitatem

tatem non recipit id, quod interest Patris, filium ab illo corruptore malis fuisse imbutum moribus. Est itaque inæstimabile damnum. Hoc ergo casu, quo nimirum simplum damni dati non potest reperiri, ut in dicta specie, cum Uffyllo dicimus, pœnam contra corruptorem duplum non esse, sed ex arbitrio Judicis pendentem. Nam in jure pœna incerta, in arbitrio judicis posita est. *arg. L. 1. §. 1. ff. de Effractor. & Expilat.* Formulam libelli proponit *Myns. ad §. in duplum. Inst. de Ad.* Cum ego, Domine Judex, haberem filium, liberaliter & bonis moribus educatum, huicq; certam pecuniæ summam studiorum causa concedidissem, Valerius persuasit illi, ut talem pecuniam dilapidaret scortationibus, & alea consumeret. Et filius quidem meus, sic sollicitatus ab eo, prodegit cum tali scorto 50 aureos (vel si ad alia vitia corruptus fuerit, nec immediate secutum sit pecuniarium damnum, tunc sic variabis) & paratus sum ego jurare, me talem corruptionem centum aureis, si possem, in filio meo purgaturum, cum tanto ille factus sit deterior: quare peto pronunciari, non licuisse Valerio filium meum prædicto modo, ad malos mores sollicitare: Ideoque illum ad solvendum centum (vel secundum aliam clausulam ad dandos ducentos) florenos obligari, utque eum ad solvendum eam pecuniam condemnentis &c.

§. 6. Competit etiam nonnunquam ipsi personæ corruptæ hæc actio; Puta si filiusfam. à puella aliqua vel alio corruptore seductus; præsertim si parentibus destituitur, vel parens nolit hac actione uti, ne vulnera domus suæ renudare videatur, certè ipse filius de seducto se, & damno sibi per popinas, aleas, dato, agere contra corruptorem vel corruptricem, non prohibetur. Nam cum peccatum fuerit in ipsius filii persona perpetratum, unde ad

E 3

patrem

patrem pervenit injuria, si patri actio competit, multo magis ad filium actio pertinebit. *auth. multo magis. C. de Sacrosanct. Eccles.* Et Charitas, quæ secundum Deum est, primum operatur in eo, in quo est. *L. pates. C. d. servitut. & aqua.* At dicat aliquis, huic nostræ sententiæ adversari Regulam; Volenti non fit injuria *L. 1. §. usq. adeo. 5. ff. de Injuriis.* Filium autem cum illius mores corrumpentur, consensisse ludis, & scortorum oblectamentis, cæterisque voluptatibus: Adeoque nullam posse actionem competere filio corrupto. Verum hunc obicem dupliciter possumus submovere. Dicendo *Primum*, quod hoc argumentum sit extra fines nostræ positionis: quia haud quaquam sermonem facimus de actione injuriæ, sed Servi Corrupti utili actione, quæ non tam propter injuriam, quam damnum illatum competit. *Deinde* quod hæc Regula locum habere non videatur in persona, per illecebras seducta & corrupta *per L. 3. §. si quis volentem ff. de homine libero exhibendo.* Non enim est volens absolutè, sed quodammodo per vim. Nam qui voluptate immodica capitur, eum duplex violentia trahit. Primum ipsa voluptas & delectatio, quæ hominem sui juris esse non sinit: Secundò, perniciosissimæ adulationes, quæ sunt ad instar Syrenum, cantus dulcedine obdormientes nautas in Syrtes pertrahentium. Ipsa filia, vel Ancilla à Patre Dominove prostituta agere potest contra Parentem, vel Dominum coram Episcopo, ut ab hoc à patria, vel herili potestate liberentur, & in pœnam abutentis suo jure patris, vel Domini, libertate donentur *l. Si lenones C. de Episcopali Audient. Et in l. 1. §. 8. ff. de Offic. Praefect. Urb.* Servos vel Ancillas coram Praefecto Urbis verecundè expostulare posse contra Dominum inter alia, de obscœnitate ad quam compulerint, vel compellunt. Et exinde *Azorius Infit. Moral. part. 2. lib. 2. cap. 38.*
dedu-

39
deducit, si tale præsidium ancillæ &c. non habeant, quod tunc optimo jure fugere à corruptore possint & debeant, si aliter corruptionem evitare non possint, imò defendit, servum prohibitum licet à Domino, tandem sine consensu Domini posse matrimoniū contrahere jure Canonico.

§. 7. Hodie etiam nobilibus propter rusticos corruptos, Patrifamilias propter famulos corruptos, *Zasius in com. ad tit. de Servo Corrupt. n. 5. & hunc referens Godofr. ad l. 14. §. 1. ff. d. t.* & generaliter omnibus rectè conceditur hæc actio: Maximè autem Principes, ac quilibet Magistratus, quorum maximè interest, ne hoc tempore subditi ab Anabaptistis, & hæreticis, aliisque hominibus planè phanaticis, corruptantur: utiliter exercent in eos hanc persecutionè officio suo. *Mynf. ad §. in duplum & Oldendorp. Class. 7. act. 2.* Hinc quæritur, Si legat⁹ à Principe alio missus, & ejus jussu subditos alienet à Principe suo, an non Princeps & legat⁹ Utili Servi corrupti Actione possit conveniri? (liceat mihi privata ad publica accommodare) quod non ineptè, si ea de re judiciū formaretur, vel per Arbitros, ac Compromissarios judices esset decidendū, affirmari posset. Occurrit mihi exemplum Johannis Leslæi Episcopi Rossensis, Mariæ Scoticæ Legati, qui (referente Thuano *lib. 51.*) totius conjurationis ab initio dux & auctor fuerat, cum Sonthamptoniensi Comite, primum nocturnis conventiculis habitis, dein cum profugis Anglis in Belgio, ac denique cum Pontifice & Albano de Anglia invadenda egerat; Is sacrosancta & inviolabili se Legatorum, quibus res suorum Principum quovis modo procurare jus est, religione tutum existimabat; Consulti hæc de re Juris Casarei periti, qui contra respondebant, Legatum, qui contra Principem, ad quem missus est, rebellionem concitaverit, Legati privilegiis & immunitatibus ipso facto excidere, & pœna subjici; & cum quæ-
rere-

reretur, an procurator Principis qui publicâ auctoritate abdicatus est, Legati privilegiis gaudeat? responderunt, si legitimè abdicatus esset Princeps, ejus Procuratorem Legati privilegia non posse vindicare, quandoquidem ad solos Principes absolutos & Majestatis jura habentes, pertinet Legatos constituere. Consulti item, an Princeps, qui in alienum regnum venerit, & in custodia est, si procuratorem habeat, an is pro Legato habeatur? Item an si Princeps procuratori & Principi, qui in custodia est, denuntiet, se non amplius procuratorem ejus pro Legato habere, an procurator ille Legati privilegia de jure retineat? Ad quæ responsum, quantum ad prius caput spectat; ex delegationis auctoritate pendere, an procurator ille Legatus reputari debeat; Ad alterum, Principem in suo prohibere posse, ne Legatus regnum intret, & jubere si intraverit, ut regno exeat, siquidem officii legati migraverit, interium legati privilegio frui debere. Secundum hæc ex Eliensis insula revocatus Resensis, & graviter in Procerum confessu increpitus, quod non ex fide legati in suo munere versatus esset, proinde sciret, se non amplius pro Legato reputari & benignè secum actum putaret, quod non graviore poenâ multaretur. Contra tendenti & se Regina liberæ & injustè abdicatæ legatum, pro ratione muneris, bona fide & utriusque regni bono, officio defunctum esse in clamanti, prolatis in id amplissimis quas à Mariâ habebat mandatis, à Cœcilio Burplejo stomachose responsum; Jura legationum & publicæ fidei quæ obtendebantur, non posse patrocinari perfidiosis, qui in publicam peccant Majestatem, sed eos poenalibus actionibus teneri, alioquin licere sceleratissimis hominibus specioso se legati nomine, venditantibus, impunè in Principum vitam grassari. Cum ille obstinate pertenderet, legatorum jura, nunquam via
juris,

44
juris, sed via facti violari, submoneretque ne secum asperius ageretur, quam cum N. Trocmortono nuper in Gallia; & Randolpho & Tamvortho Anglis in Scotia legatis, qui turbis illis regni se miscuerant, actum fuerat; siquidem iis nihil gravius imperatum, quam ut intra statos dies discederent, cum testimoniis Anglorum urgeretur, ne pergeretur blandè rogavit, obstare quippe receptissimam quæ legis vim obtineat, consuetudinem, qua scitum est. Angli in Scotum, neque Scoti in Anglum testimonium valere. Tandem post acres de jure gentium ac legatorum, quod utraq; pars in hac causa verti dicebat, altercationes, Rossensis tanquam privatus in arcem Londinensem ducitur, arctiore quam antea custodia.

C A P. III.

De Judiciis Cognatis.

§. I. Ex superioribus audivimus ob animum Servi, vel etiam liberæ personæ, dari Actionem Directam, & Utilem: Nunc transibimus ad actiones cognatas; Qualis est Actio injuriarum ob servam Corruptam: si enim quis ancillam, quæ in contubernio Servi alicujus est, stupaverit, non potest de violato thoro accusari; sed potest talis à Domino Actione Injuriarum, vel legis Aquiliæ, vel Servi corrupti, conveniri, vel extra ordinem puniri. *L. 6. pr. ff. ad Leg. Jul. d. Adult. & L. 25. ff. de Injur.* Quæ Actio cum ob ancillam vel Servam corruptam concedatur; multò magis ob filiam, vel aliam liberam personam depravatam, dabitur, cum longè majus sit delictum liberam personam corrumpere, quam servilem *L. 5. §. 1. ff. de Serv. Corrupt.* de quo supra jam satis dictum.

§. 2. Furti etiam actione agit Dominus, vel Paterfam.

F

fam. contra eum, cujus ope & consilio factum est furtum à Servo, vel filio. Cum enim inter Parentes & liberos nullum iudicium esse, adeoque nec filius de commisso furto conveniri possit à Patre. *per L. Lis nulla 4. ff. de Judic. § 4. Instit. de Obligat quæ ex delicto.* Liberi enim paternorum bonorum quali participes, patrisque in liberos ad eò mite imperium, ut pro magno peccato paulum supplicii satis sit Patri, meritò contra corruptorem Patri conceditur actio, quia verum est, ope & consilio ejus furtum factum esse.

§. 3. Vidimus itaque Patri contra filium nullam concedi actionem: At marito contra Uxorem non denegatur; Differunt itaque Uxor & filius. Si enim Uxor aliquis corruperit vel deterioraverit servum vel ancillam, aliamve personam, Maritus habet actionem; verùm, favore Nuptiarum non nisi in simplum. *per L. fin. ff. de serv. Corrupt.* Quæritur autem, si Uxor filiam unicam spectatæ probitatis corruperit; an ideo Maritus ab Uxore divortium possit impetrare? Videtur id quidem Affirmandum, quoniam ipsum simplum damni, in quod contra Uxorem tantum agere licet Marito, æstimari nequit: Si quidem (ut supra dictum) Libera personæ sunt inæstimabiles, & extra pretium. Hinc colligeret fortè aliquis: Ergo; Cum in simplum condemnari non possit, neque impunis manere debeat; Divortii pœna afficienda. Verùm, cum inter causas dissolvendi matrimonii hæc non reperiatur, absurdum non erit, si contrarium statuamus.

§. 4. Legis Aquiliæ Actio hic etiam habet locum: Si nimirum corruptus v. g. Adolescens damnum mihi dederit: Daturque non tantum contra eum, qui damnum intulit, sed & contra eum qui consultor & suavor delicti fuit, nam regulariter ex consilio malo tenetur

43
netur per L. 1. §. incidit. ff. ad Sctum Turpil. L. 12. ff. ad L. Jul.
d. Adult. L. consilii d. Reg. juris, & ibi DD. Malum itaq; consi-
lium alii dedisse, crimen esse; haud timidè Affirmandum:
Ipsa verustas censuit; Consilium esse verè rem sacram; Rei
igitur sacræ usum, si quis ab honesto ad flagitia transtulerit,
non immerito criminis reum faciemus; cum divina
quoque providentiâ plerumque fiat, ut malum consilium
consultori sit pessimum. Eccles. 27. Et Plautus in Curcul. Qui
monet, inquit, adjuvat. Regula quoque juris dicitur, ex consi-
lio non fraudulento, obligationem non nasci. L. 47. ff. d.
R. J. cui consequens est, ex fraudulento nasci. Consili-
um itaque is dat, qui non solum monet, aut exhorta-
tur, sed & instruit, & perficiendi sceleris viam ostendit:
veluti, si quis furem doceat, qua parte ædium paterfamilias
injuriam pateat, quibus ferramentis horrea effringi possint:
Si quis adultero locum, tempus, occasionem stupri
explicet; Si quis calumniatori det probationes, alleget ac-
cusationis capita &c. Quis dubitet hunc criminis reum
esse, cum tamen non auctor totius flagitii dici possit? Ne-
que, quod ad hunc attinet, distinguendum arbitrantur
nonnulli, fueritne reus & sine consilio peccaturus, nec ne, ut
hoc casu eadem poena cum faciente consulenti infligatur,
isto vero mitior. Menoch. lib. 1. A. 2. casu 350. n. 17. Molina. tr.
2. de Just. & jure disp. 729. §. seqq. Ad summam enim, quid
interest, utrum quis suapte sponte peccaturo consilium
dederit, an ei, qui peccaturus non erat, nisi alter malè con-
sulisset? Illud fortasse, quod consultor hic aliquanto im-
probior sit illo: quia per hunc corrumpitur animus ma-
leficii insolens: ille verò tametsi non corrumpit homi-
nem frugi; tamen eo ipso, quo viam monstrat, causam
delicti præbet. Sed vereor ut horum sententia obtineat,
cum illa distinctio communiter sit recepta, nec textu nec

ratione destituta : quamvis etiam utraque sententia possit conciliari , ut sententia altera sit admittenda , in Se vi Corrupti Actione, altera in damno dato tertio vel illata injuria. *Conf. Ant. Matth. ad l. 48. tit. 18 c. 4. n. 18.* Consulentem itaque cum ipso reo eadem regulariter affiendum esse poena, aut non multum mitiori, satis perspeximus : An vero is quoque qui tantum monuit , qui exhortatus est, qui instigavit, criminis reus sit, ambigi posset : utrinque enim rationes sunt, seu affirmare quis, seu negare maluerit. Hinc forte aliquis, negantem sententiam, tanquam mitiorem amplectendam esse arbitraretur. Verum ita clementiae laudem sectari debemus, ut ne severitatis gloria pereat : qua nisi hac in parte utamur, augebimus malitias, hominesq; improbos invitabimus ad constanda scelera ; quippe qui sciant, impune se exhortari & instigare alios posse, contra illud vulgatum , *Ant. Matth. ad lib. 47. Digest. in prolegom. c. 1. n. 9. & c.* Expediit Reip. timere poenam criminis, nec esse maleficia impunita. *L. si unus 27. §. pacta. ff. de pact. L. ita vulneratus. 51. ff. ad Leg. Aquil.* Negandi itaq; rationes omitimus, ac Affirmationis argumenta allegamus. *Marcianus in L. 1. §. incidit. ff. ad SC. Turpil. Incidit in hoc SCtum & qui accusatorem summittit, aut instigat, aut qui mandat alicui, & instruit eum, ad accusationem capitalem, dando probationes, allegando accusationes.* *Ulpianus in L. 12. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Hæc verba legis. *Ne quis posthac stuprum, adulterium facito sciens dolo malo, & ad eum qui suasisit, & ad eum qui stuprum vel adulterium intulit, pertinent.* *Idem in L. 1. §. 4. ff. de Serv. Corrupt.* *Et verius est, etiamsi malo monstravit, in quem modum delinqueret, teneri eum ; imò, et si erant servus omnimodo fugiturus, vel furtum factururus, hic verò laudator hujus propositi extitit, tenetur.* *Non enim oportet laudando augeri malitiam. Sive ergo bonum servum fecerit malum,*
sive

45
seve malum fecerit deteriorem, corrupisse videtur. Idem in L. 36. ff. d. furt. Si alius seruo fugam persuasit, ut ab illo subripiatur, furti tenebitur is, qui persuasit, quasi ope consilio ejus furtum factum sit. Plus Pomponius scripsit, cum qui persuasit, quamvis interim furti non tenetur, tunc tamen incipere teneri, cum quis fugitivi fur esse cœperit; quasi videatur ope consilio ejus furtum factum. Idem in L. 11. §. Atilicinus ff. de Injur. Atilicinus ait, etsi persuaserim alicui, alias nolenti, ut mihi ad injuriam faciendam obediret, posse injuriarum mecum agi.

C A P. IV.

De extraordinaria & criminali
punitiōe.

§. I. Quandoquidem bis peccant, qui corrumpunt alios, tum quod ipsi sunt improbi, tum quod proximum, ad improbitatem sollicitant: Ideò magistratus talem hominum pestem ob frequentiam quæ nunc est, etiam criminaliter in corpus officio suo punire potest. per L. 5. ff. d. Extraordin. Crim. Plus enim delinquunt, qui hoc tempore Christianos & liberos homines seducunt falsa doctrina, vel persuasione, publicâ vel privata, quam olim servos corrumpentes. arg. L. doli verbum 5. §. si quis dolo 1. ff. de Seruo Corrupt.

§. 2. Potest itaque Corruptor extraordinariâ, & quidem gravi poenâ à Judice affici. 1. Si is quem consilio ac suasionibus suis tentavit corrumpere, corruptioni locum non dedit ac id quod persuasit, in effectum non deduxit; Verum Patri vel domino ex hoc consilio inobedientior redditus vel ad otium & luxuriam allectus fuerit; Ut hoc casu judex corruptorem ex officio puniat. 2. verò, Si eo sua-

fore & autore, certum aliquod crimen quod intendebat commissum fuit, ab eo quem corruptit. Quo casu Corrupto eum Corrupto eadem, vel simili poena afficitur, praesertim si alias non erat facturus, ut supra dictum.

§. 3. Hinc furti tenetur, cujus consilio furtum factum est. *L. sepe 53. in fin. ff. d. V. S. L. qui servo. 36. L. si quis uxori. 52. §. cum Titio. ff. d. furt.* & si res furtiva ad eum perlata etiam conditione furtiva injuriarum, cujus consilio injuria alteri illata §. *pen. Instit. d. injur. L. 11. §. Atilicinus ff. eod.* Lege Julia de Adulteriis tenetur, cujus consilio adulterium factum est, cujus consilio dolo malo factum est, ut in adulterio deprehensi, pecunia, aliave qua pactione se redimerent. *L. hac verba 12. L. is cujus ope. 14. ff. ad Leg. Jul. de adult.* Lege Cornelia de Sicariis, cujus consilio dolo malo innocens judicio capitali oppressus, naufragus suppressus fuerit. *L. 3. §. item cujus familia. L. 1. pr. ff. ad leg. Corn. d. Sicar. L. 3. §. ult. ff. de incend. ruin. naufr.* Lege Pompeja, cujus consilio parricidium factum erit. *L. 6. ff. ad Leg. Pomp. de Parric.* Lege Julia de annonae, cujus consilio dolove malo factum est, uti navis, nautave retineretur. *L. 2. §. 1. ff. d. Leg. Jul. d. annon.* Lege Julia peculatus, cujus consilio factum est, ut quis pecuniam publicam auferret. *L. 1. ff. ad Leg. Jul. pecul.* Lege Fabia, cujus consilio & persuasione servus à domino fugit. *L. pen. §. ult. ff. ad Leg. Fab. d. plag. L. 2. C. eod. Idem in Crimine Majestatis. arg. L. 5. §. pen. C. d. Crim. Majest.* Denique vix ullam reperiemus legem publicorum privatorumve judiciorum, quae non eum quoque apprehendat cujus dolo malo factum esse diceretur.

§. 4. At primo casu; certa nulla est poena, verum arbitraria, & pro ratione circumstantiarum facti intenditur vel remittitur. Id autem certum, cum corruptorem qui

47
qui puerum vel puellam corrumpit, velei scandala atque
offendicula præbet, non tantum coram Deo maximam
contrahere noxam, *Matthai 18.* sed & in externo iudicio
magis esse puniendum. Huc quodammodo referi pot-
est, quod in Electoratu Saxon. virgis cædi & in perpetuum
relegari debeat stuprator, qui mulierem mente captam car-
naliter cognoscit & stuprat. *Carpz. prax. crim. qu. 69. per text.
expressum in Const. Elect. 26. part. 4.* Wann eine ledige
Manns-Person / eine wanwitzige / sinnlose / ledige
Weibes-Person beschläfft / sol er derselbigen nicht al-
lein nach billiger Ermäßigung einen Unterhalt ma-
chen / sondern sol auch darüber mit Staupenschlägen
verwiesen werden. Hujus Constitutionis pœna ad eum
quoq; casum extendi potest, quando quis virginem inebri-
atam stuprat: Verum *Carpzovius d. l.* tum demum conce-
dit: S puella ab ipso Stupratore ad hoc, ut opus eo me-
lius perfici queat, fuerit supra modum inebriata, & dor-
miens stuprata: Talis siquidem ebrietas mentis alienatio-
nem inducit, & aliquem furioso & mente capto similem.
facit; *Jul. Clar. lib. 5. sent. §. fin. quest. 60. n. 13. vers. quero eti-
am. Dom. Card. Tusch. tom. 2. præct. concl. lit. D. concl. 716. n. 2.*
Hinc non immeritò pœnæ graves dictatæ Lenonibus *Nov.*
14. quam Imperator Deo offert in odorem bonæ fragrantia:
de quibus Lenonibus *Clarus in §. ult. quest. 68.* ita loquitur:
Lenones & Lenæ puniuntur pœna mortis, ut est *text. in
Auth. de lenon. §. preconizamus. col. 3.* Sed de consuetudine
non puniuntur pœna mortis, sed tantummodo flagellan-
tur cum mitra, ut dicit *Nunius de los corregidores, fol. 204.
num. 15.* vel afficiuntur aliqua alia pœna a bitrio Judicis:
Et ita esse consuetudinem attestatur *Præct. Jodoc. c. 89. num.
43.* Ita etiam in regno Hispaniæ solere practicari dicit *An-
ton. Gomez super l. 80. Tauri, num. 73.* licet subdat, quod sit
pœna

pœna irritanda pro tam nefando crimine, & quod deberent puniri pœna mortis. Hæcille. *Menoch. lib. 1. A. 2. quest. 88.* refert; Lenones in Alemania, insidentes asino versa facie, per universam civitatem turpiter circumduci, acclamantibus sequacibus. Similiter & pastores Ecclesiarū, si scandala præbeant, tanto durius plectendi, quanto magis exemplum nocet auditoribus *per L. Presbyteri 8. C. d. Episc. & Cleric.* Hinc dicimus dignitatem augere crimen, quando crimen cum dignitate & professione maximè pugnat, sicut pastorem nihil magis dedecet, quam esse mendacem, potatorem, vel alio vitio contaminatum, quoniam contrarias Virtutes profitentur.

§. 5. Propter personam corruptentem non infrequenter augeri pœnam extraordinariam, constat. Sic Tutor qui pupillam suam stuprat, deportatione & bonorum confiscatione punitur, *per L. un. C. si quis eam cujus tutor.* cum aliàs stupri pœna sit tantum publicatio dimidiæ partis bonorum. §. 4. *Instit. d. publ. judic.* Verum in Tutore non immeritò exacerbatur illa pœna, quia officium ejus erat, defendere pupillam ab injuria. Et tutor faciliore via eam corrumpere potest, ob frequentiore conversationem. Hinc communiter Doctores volunt ejus pœnam exasperandam. *Dn. Brunneman. ad tit. C. Si quis eam cujus tutor. Farin. Q. 147. n. 15.* apud quem vide complures alios citatos. *Clarus §. fornicatio. n. 23.* qui refert *Ant. Gometz. super L. 80. Tauri num. 24.* Ex eadem autem ratione qua Tutoris pœna, intenditur etiam Custodis carcerum, si nimirum carceratam cognoscat. *Clarus in §. ult. quest. 68. num. 8.* dicit, Custodem carceris, qui carceratam carnaliter cognoscit, de consuetudine laqueo puniri, vide etiam eundem *ad §. fornicatio. n. 38. Et Carpz. Quest. 69. ait;* Scabinos qui ante *Const. Elect. 25.* Carceris custodibus pœnam

49
nam gladii dictasse & non aberrasse à tramite justitiæ; eo quod certa pœna nondum esset definita, adeoque judicis arbitrio commissa L. 1. §. fin. ff. d. jur. deliber. Quod ad mortem extendi potuit, secundum Jacob. Menoch. lib. 1. arbitr. jud. quest. 86. num. 20. & seqq. Sed hoc arbitrium judici ademptum est hodiè in foro Saxonico Electorali, pœna fustigationis in custodem, incarceratam mulierem stuprantem, constituta, quam aggravare & exasperare non licet. Dictæ Constitutionis verba hæc sunt. Wenn derjenige / welchem eine Weibes Person in seine Custodien und gewahr sam befohlen / dieselbige Gefangene beschläfft / so sol er / so beyde Personen ledig / mit Staupenschlägen des Landes verwiesen werden. Quæ Constitutio in stupro non violento non videtur à jure communi abire. Ex supra dictis, & allegato titulo Codicis probatur etiam facillimè, præceptorem, seu morum magistrum, si suæ fidei commissum corrumpat, acerrimè posse puniri.

§. 6. Nec minus ex præcedenti paragrapho (ut tantum hoc obiter inspergam) potest colligi, eos quibus pecuniæ publicæ vel privatæ administrandæ commissæ; si eas surripiant durioribus poenis præ aliis furibus extraneis afficiendos esse; Sed contrarium placuit Doctoribus, per. L. 5. §. 1. ff. d. Administ. Tutor. Causam, inter alias, hanc reddunt: Quod ejusmodi personæ, ut Quæstores, aliiqve Officiales, ut plurimum pecuniam suo periculo suscipiant, ejusque nomine cautionem præstare ac fidejussores dare soleant. Et res, alicui sub periculo ejus commissas, quasi proprias ipsius esse videri. Neminem verò in re propria furtum committere. §. 1. Instit. d. obligat. qua ex delict. nasc. L. 1. §. ult. ff. de furt. Adeoque nec eos Quæstores & Officiales in pecunia, suæ fidei & administrationi credita,

G

pro-

propriè furtum committere posse. Sed quid si fide-
jussores dati, nihil habeant in bonis; Æquitati ne conve-
niens est, ut Administrator, qui surripuit 4000. thaleros
quos confulis rationibus abstulit, & in falso deprehem-
sus restituere non potest, fustigetur: Alius verò extraneus,
qui sex solidos surripuit, laqueo puniatur? Similiter & fur-
ta domestica mitius punienda *L. perspicendum §. furti. ff. de
pœnis.* Sed contra videtur dicendum, quod domestica ne-
cessitudine arctius nobis sint conjuncti, & cum domesti-
cis nostra credere teneamur, minus facile vitari possit fur-
tum: Occasio enim facit furem. Quod crimen adeo im-
probum nonnullis visum est, ut capite luendum censue-
rint; quemadmodum plures interpretes testantur. At
Romani furta domestica levioribus annumerant; adeoq;
non irrogant pœnam mortis, ut nec efferrî domo velint,
quæ intra privatos parietes coerceri possunt. *L. perspicen-
dum. §. furta. ff. d. pœn. L. 17. L. 36. §. 1. L. 52. L. 89. ff. de furt. L.
4. C. d. patr. pot.* Utrum autem Romani, an Ultrajectini
quorum Statuta refert *Ant. Matthei ad L. 47. tit. 1. cap. 3. n.
2. & seqq.* rectius ratiocinati sint, obscuram adhuc est. Ro-
manos, ut porrò argumentatur *Ant. Matth. d. h. tueri* vide-
tur natura societatis domestica, quæ cum nihil aliud sit,
quam conjunctio plurium personarum ac rerum; sub u-
nius, qui paterfamilias vocatur, potestate atque imperio,
usus quotidiani causa contracta, utique consequens esse
videtur, non valdè grave esse furtum, quod familiaris fa-
cit, cum natura quodammodo societatis ad rerum dome-
sticarum communionem eum admittat. Ex hoc enim fon-
te, illud fluxisse videtur, quod de Socio responsum, est *in
L. meritò. §. 1. ff. pro Soc. credendum esse, eum qui partis do-
minus est, jure potius suo uti, quam furti consilium
inire.* Quod si minus hæc illatio placet, illud tamen ex
desi-

definitione argumentum superat, durum esse, ut paterfam. tanquam caput, ejusdem corporis membra iudicis inclementiæ objiciat, atque ob furtum aliquarum rerum in crucem tolli curet. Vocantur domestici, eundem habentes focum, eodem gaudentes fumo, eodem vescentes cibo, eodem victi antes penu, vel panario. Tune hominem eodem tecto atque cibo urentem, à foco tuo, tanquam ab ara abstractum, crudelissima furcæ pœnæ objicere non durum existimas? Qui paulo ante divinum humanumque jus tecum cernebat, eum tu nunc cernas pensilem, vulturum atque corvorum prædam? Quid quod Græci eum qui ex domo alterius quid abstulerat, duplo duntaxat puniverint, cum eos qui in balneis, vel in foro, vel palastra idem fecissent, punirent morte? Non alia de causa, quam quod in patrisfam. potestate sit, recipere quos velit, excludere quibus diffidat sibi que adeo imputare debere, qui non diligentius domesticorum mores exploraverit, ut *Aristoteles tradit Lib. 29. probl. 14.* Si igitur hac in re & aliqua patrisfamilias culpaprehenditur, cur eum illis, qui negligentius recepti sunt, tam duriter agemus, ut morte furtum luendum sit? Hisce Romanorum rationibus, contraria sunt hæc argumenta: Quod eo improbius cujusque sit factum, quo arctiori necessitudine nobis obstrictus est. Fur de trivio non obligatur nobis; nisi communi illa ratione, quod nefas sit hominem homini rebusque ejus insidiari, cum natura inter homines cognationem quandam instituerit. *L. 3. ff. d. Just. C. Jur.* Quod, quæ non posuerit, ea fas non sit tollere: suam potius cuique egestatem fortiter tolerandam, quam ut ex aliorum spoliis ditescat. At eum quem tecti focique consortio dignati sumus, arctius nobis obstringit domestica necessitudo, qua sentit, aut sentire debet, cum nil cuiquam auferendum; tum imprimis par-

endum patriam. Cujus vel imperio subjectissimus, vel qui fumum atque penum nobiscum communicat. Accedit, quod hospitii jura violat, qui hospitis arcas violat: Hospitii autem jura sacrosancta esse vetustas voluit: unde & Jovem hospitem dixere, vindicem eorum, qui hospites fefellissent. Hacque ratione in Sacris *Genes. 44. v. 9. & seqq.* dispensator Josephi exaggerat furtum Scyphi argentei, cujus insimulabat fratres ejusdem: *Cur rependitis, inquit, malum pro bono? Nonne ille est, e quo solet Dominus meus bibere.* Præterea, ea sunt animadvertenda peccata maximè, quæ ut Cicero *pro Rosc. Amer.* ait, difficilimè præcaventur. Tecti esse ad alienos possumus, domesticorum verò insidias qui vitare possumus, nisi leges poenarum magnitudine eorum cupiditates frenent? Quo major atque laxior furandi copia, eo severius furta coercenda: non est autem ulli major furandi copia, quam domestico, quippe, qui intima atque penitus recondita plerumque pervideat, cujus fidei commendare res nostras abfuturi domo soleamus. His rationibus utrinque contendendi potest, nec temerè judicandi partes sumendæ. Nam & sancta est apud nos juris Romani auctoritas; nec tamen ita id suspicimus, quin fateamur, potuisse etiam statutis aliarum gentium de quibusdam rebus rectius caveri: Sed hæc omnia ex *d. Autore obiter.* Jam ad propositam nobis materiam revertamur.

§. 7. In inferendis poenis, persona non minus respicitur quam circumstantiæ, secundum quas poena vel intenditur, vel remittitur; Inter quas circumstantias etiam sunt instrumenta vel media quibus utuntur malitiosi homines: quæ si sint odiosiora, ad acriorem reis dictandam poenam plerumque judicem incitant. Sic supra diximus, uti nonnunquam homines diabolicis artibus, puta phil-
tris,

tris, incantamentis ad corrumpendos hominum animos.
Quæ omnia acrius puniendæ esse puto L. 38. §. 5. ff. d. pen.

53

CAP. V.

De Remediis Corruptionum.

§. 1. Animos hominum, naturâ ad improbitatem proclives, ad ulteriorem animi corruptionem haud difficulter compelli ac incitari posse, ex superioribus constat; Nunc itaque agendum esset de remedio, quo hujusmodi corruptelis, hoc tempore nimis quam frequentatis, occurrere ac resisti posset: Sed quia materia præter spem excrevit, de his breviter. Optimam quidem medelam esse frequentem Divini nominis invocationem, ut nimirum is animos nostros adversus tum ipsius Dæmonis, tum ejus ministrorum corruptelas perniciosissimas benignissimè tueatur & defendat. Verum, cum Divini nominis cultus ab oris nostris propemodum recesserit, mirum neutiquam est, quod Deus quemque suæ relinquat naturæ, quæ cum planè sit depravata, saluberrima respuit consilia, ac verita sectatur.

§. 2. Ad vitandas autem Corruptiones utiles omnino essent frequentes visitationes Ecclesiasticæ, Academicæ, Scholasticæ. Quia natura humana deservit sensualitati, & ab adolescentia proclivis ad malum semper fuit, & morum subversio frequenter in clero & populo continuo pullulat, necessarium est ut per visitantium superiorum auctoritatem & per providi cultoris surculos extirpentur vitia, virtutes inferantur, corrigantur excessus, moresque reformentur &c. ut loquitur *Johannes Franciscus de*

G 3

Pa

Pavinis in tract. de Visitatione. Utilissimas hasce Visitationes, parum satis frequentatas, in Belgio tamen usu receptas esse memini: Ibi enim ter, vel quater singulis annis unusquisque Concionatorum in certa sibi præscripta urbis parte tenetur singulas visitare domos, & unumquemque; alloqui eum examinando, num aliquod serupulum in sacris invenerit, quod sibi explicari velit, numque cum aliquo inimicitias alat; easque componere tenentur. Imò in vicinorum vitam & mores inquirunt plerumque, ut eo apertius omnium civium actiones iis detegantur. Optandum foret, hunc morem ubique locorum introduci posse; tot corruptelis & animorum depravationibus locus non daretur.

§. 3. Succurrit & aliud remedium, quo mediante, multæ corruptiones præcaveri, vel etiam depelli & animo exciri possent: Si nimirum; Cum hodiè maximè periculosa sint fraternæ & amicæ correptiones, adeo ut utilissima suadentem plerumque inimicum nobis arbitremur; Ea quæ in aliis deprehendimus vitia, Pastoribus sub fide silentii detegeremus, ut illi privatim eosdem à malo deterrere, & ad virtutem sectandam incitare commodius possint.

§. 4. Caterum utilissimum foret, omnia instrumenta corruptionum tollere, Leges de Sobrietate in Imperio latas, in usum revocare, Ordinationes politicas præscribere, circa juventutis educationem potissimum morum formandorum habere rationem, neminem ad Officium vocare, nisi qui doctrinæ non tantum, sed & vitæ laudabilis Testimonium afferat, corruptelas varias accuratius inquirere, inquisitas & repertas acriter vindicare, imò quod præcipuum, Disciplinam Politicam, Ecclesiasticam, Scholasticam pristino statui postliminio restituere; Et similia. Præstet hoc DEUS, omnis corruptionis expers.

CUI SOLI GLORIA.

Ad Per-Illustrem, & Generosissimum


DOMINUM BARONEM

55

MOribus exosis se pectus mancipat omne
Verecum è patria, quod penetrare soles
Ast animus Cœli summa delapsus ab Arce
Perpetuis studiis astra serena petit.
Astra Serena petis semper, Generose Dynasta;
Herois virtus, quod Patris alma cupit.
Marchiacæ terræ nam Phosphorus Ipse benignus,
Perpetuo crescens Tu quasi Luna micat,
I, Generose viam hanc porro! quo coelicus Ignis
Te rapit, Herorum fors Tibi certa patet.

Submisse gratulatur

JOH. BRUNNEMAN. D^r



Magnos magna decent: Tu Magnus & Ipse futurus,
Herculeo dum mente subis graviora labore.
Corruptos animos, corruptaque secula monstras.
Corruptis Medicus monstras quoque dulce levamen.
Magna Ducum, Comitum Soboles, Magni Ornamentum
PRINCIPIS & Patria vivas, Magnique Parentis
Gloria sis: Magnus noster Studiisque Patronus.
Cultorum hoc minimus vovet, optat, maximus ergo
Te pietate, ejus Tibi sit memorabile nomen.

CHRISTOPHORI HENDREICH:



DOMINUM BARONUM

M
All annis
Pepitio
Abis

Horatius
M
I
T

JOHANNES BRUNNEMANN

M
Christoph
C

CHRISTOPH HINDRICH

(1750)






(X2618012)

107





~~X~~ INCORRUPTIBILI DEO *Gr. B. num 19.*
ANNUENTE *2*
Disputationem hanc Juridicam
DE *1665, 2a*

**DELICTO SER-
VI ALTERIUSVE HOMI-
NIS CORRUPTI**

P 490.

*ejusq;
JUDICIO
consentiente*
Nobilissima ac celeberrima Facultate Juridica
SUB PRÆSIDIO
Viri Nobilissimi ac Excellentissimi
**DN. JOHANNIS BRUN-
NEMANNI,**

Serenissimi Electoralis Brandenburgici Consilarii,
J. U. D. & P. P.
Placida atq; humana disquisitioni & colloquio
proponit

OTTH. OLB. SCHVVERIN,

Junior.
Autor dissertationis
In Auditorio Jctorum horis solis Die 2. Martii. 1665.

Francofurti cis Viadrum.
Literis JOHANNIS ERNESTI, ACADEM. TYR. M. DC. LXXII.

